



## 5. DE LUPO ET SEPTEM CAPELLIS PARVULIS

Caprae cuidam fuerunt septem capellae parvulae, quas materno more amavit diligenterque custodivit a lupo. Aliquo die, cum capra foras exitura esset pabulatum, omnes capellas convocatas sic allocuta est: „Carae filiae, exibo pabulatum, vos cavete lupum istumque ne sinatis intrare; cavete, nam iste saepe mores suos dissimulat, voce asperâ et brancis nigris istum agnoscere poteritis: at si domum intraverit, vos omnes plâne devorabit.“ Non diu post, cum capra abiisset, lupus vînit ante ianuam domûs vocavitque voce suâ asperâ: „Carae parvulae, aperiâ, sum mater vestra vobisque attuli res pulchras:“ At septem capellae: „Mater nostra“ inquunt, „tu non es, illa habet enim vocem suavem et amabilem, sed tua est aspera: tu es lupus, itaque non aperiâmus.“ At lupus insidias excogitavit, abiit ad mercatorem, ubi êmit magnum truncum cretae, quam comêdit, ut vocem suam redderet suaviorem. Deinde rediit ad septem capellarum ianuam domesticam et vocavit voce suavi: „Carae parvulae, sinite me intrare, sum mater vestra; omnis vestrum aliquid accipiet.“ At lupus brancam suam cum fenestrae imposuisset, septem capellae eam vîdérunt et locutae sunt: „Tu non es mater nostra, quae non habet pèdem nigrum, qualem tu habes: tu es lupus, et tibi non aperiâmus.“ Deinde lupus abiit ad pistorem eique dixit: „Pistor, oblîne mihi brancam pastâ recenti“ et cum pistor hōc fecisset, lupus iit ad mōlîtorem eique dixit: „Mōlîtor, brancae meae insperge albam farinam subtilem“. Quod mōlîtor noluit facere. „Hoc nisi fêcérис“ lupus inquit., „te devorabo“. Tum mōlîtor rem fecit, nam timuit.

Deinde lupus tertio iit ad ianuam capellarum domesticam et „Carae parvulae“ inquit, „ego sum mater vestra, omni vestrum dabo donum.“ Septem capellae autem primo voluerunt unguem vidêre; cum autem vidissent eundem esse coloris nîvæae et audivissent, quam suaviter sonaret vox lupi, putaverunt reverâ matrem ante ianuam stare, ianuam aperuérunt, lupum intrare sivérunt. Cum maximè vidêrent, quis esset, territae se abdidérunt, una sub mensam, altera in lëctum, tertia in fornâcem, quarta in coquînam, quinta in armarium, sexta sub patînam magnam, septima in horologium parietale. At lupus invénit omnes et degluttîvit, exceptâ natu minimâ in horologium parietale abditâ, quae superstes remansit. Deinde cupiditate expletâ lupus abiit.

Paulo post mater domum revertit. Eheu eadem quae vîdit! Ianua domestica erat aperta; mensa, sella, scamna erant inversa, patinae coquinariae erant diffractae; stragulum et pulvini erant e lëcto extracti: Ah! Quantam miseriam! „Eheu me miseram! mater evocavit „lupus adfuit et devoravit parvulas meas carissimas, septem meae capellae sunt mortuae!“ et coepit lacrimare. Tum capella natu minima esiluit ex horologio parietali et vocavit: „Una restat, mater carissima!“, eique explicavit, quomodo infortunium evenisset.

At lupus, cum cenam habuisset opiparam, se collocaverat in viridi aprîco et obdormiverat. Capra autem vetula, quae erat prudens atque callida, muginabatur, quonam modo filias suas adhûc servare posset. Tandem eius animum cum subiisset



bona cogitatio, dixit ad capellam natu minimam: „Sume aciam et acum et forfīcem et sequere me“. Nunc ambae foras exiērunt et lupum invēnērunt in prato prostratum artissimē dormientem. „Ecce monstrum ronchans“ mater dixit eumque undique aspectavit, „quod in cenam sex filiolas meas degluttīvit et, cum ulterius currere non posset, corpus suum hīc prostravit! Cēdo forfīcem, fortasse sorores tuae adhūc vivunt, ventrem lupi insecabo.“ Ventre lupi incīso sex capellae ab illo, ut erat avidus et praeproperus, ex integro degluttītae, cum denuo spiritum ducere possent, exsiluērunt nullo modo afflictæ et gavisæ sunt se effugisse e carcere obscurissimo. Matrem palpabant, sed ea locuta est: „Ite et afferte magnos lapides ponderosos.“ Quibus cum capellae ventrem lupi opplevissent, vetula eundem celeriter consult, ne lupus hoc animadverteret neve dormiens moveretur. Deinde capra capellaeque absiluērunt et post aliquod saepimentum se abdidērunt.

Lupus cum edormivisset, sensit ventrem suum esse gravatum et locutus est: „Heus quid venter meus fremit et strepitat, quamvis nihil comēderim nisi sex capellas.“ Tum cogitavit potu recenti se recreatum iri, surrēxit et puteum quaesivit. At cum dorsum inflexisset ad aquam potandam, onere lapidum non iam potuit se tenēre, praecipitatus est et aquis submersus. Septem capellae cum hōc vidissent, accurērunt, et verba „Lupus est mortuus! Lupus est mortuus!“ vociferātae gaudio effusae circa puteum saltavērunt.